

DISPUTATIO X.

De Ministro Eucharistia.

Ad quæst. 82. D. Thomæ.

cile detegi poterant; & a viris Catholicis fecerunt: ideo puen Gelasius, pro ratione talis sui decreti, addidit rationem unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non posse provenire, quia Manichei abstinentes a vino tamquam a dæmone facta, non credebant Christum sub ejus specie in sacramento altaris existere. Ex quibus nihil contra nos; communio enim illam sub utraque specie non decreverunt Summi illi Pontifices tamquam necessariam necessitate divini precepti ad salutem.

Objicies tertio: Quod superior concedit, inferior prohibere non potest: Sed Christus quamvis non preceperit usum calicis, concessit tamen fidelibus jus ad illud, ut constare videtur ex illo Luca 22. Bibite ex hoc omnes: Ergo Ecclesia non potest illos privare usu calicis.

Confirmatur: Hoc sacramentum est ultimum testamentum quo Christus mortui proximis, corpus & sanguinem suum legavit filiis suis: Ergo Ecclesia non potest abique iustitia hac hereditate Christianos privare, cum non sit domina, sed tantum administratrix sacramentorum.

Ad objectionem respondeo Christum, non contulisse fidelibus jus petendi calicem absolute: sed cum subordinatione ad Ecclesiam, que est optima legum Christi interpretes.

Ad confirmationem dico quod Ecclesia privando laicos usu calicis, non privat eos propterea hereditate a Christo legata; tum quia quicquid acciperent per utramque speciem, accipiunt per utramque tantum: tum etiam quia esto fraudarentur aliqua gratia, cum tamen hæc non fit ad salutem necessaria, non fraudarentur paterna hereditate, que salvatur in gratia ad salutem necessaria. Sicut infantes non dicuntur fraudari paterna hereditate, so quod privantur gratia sacramentali, quam ex mandatione hujus sacramenti percipere possent.

Ex dictis inferes, ex vi precepti divini, non minus licitum ac sufficiens ad salutem fore, hoc sacramentum sub specie vini, quam sub specie panis fumere; cum non minus una species quam altera annexam habeat promissionem æternæ vitæ, & totum Christum, totamque refectionem spirituales animæ continere. Ecclesia tamen communionem laicorum ad speciem panis, potius quam ad speciem vini determinavit, tum propter minus periculum irreverentiæ, tum propter majorem difficultatem habendi & conservandi vinum in regionibus in quibus non nascitur, illudque pro infirmis conservandi. Præterquam quod animadvertit aliquos esse natura abstemios, & a vino abhorrentes, ejusque saporis & odoris impatientes.

Quæres, liceat ne in aliquo casu calicem fumere laicis?

Respondeo affirmative, quia reverentia sacramenti, & intento Ecclesie, potest interdum exigere contrarium: ut si verbi gratia periculum sit ne species vini consecrate, ab invidelibus effundantur, & proculcentur: vel si mortuus Sacerdote ante consumptum calicem, nullus alius sit qui consumat, & corruptionis specierum periculum imminet. Addunt aliquid id licere in casu in quo moribundus non posset hostiam deglutire, sed solum sub specie vini communicare. Sed huic sententiæ non assentior, quia cum hoc sacramentum non sit simpliciter necessarium, non obligat nisi cum debitis circumstantiis ab humano precepto præscriptis, dependenter a quo sepe divina obligant. Ut tamen casum excipio, in quo scilicet moribundus habens conscientiam mortalis, non posset habere Sacerdotem cui confiteretur, posset tamen habere Diaconum qui sibi sanguinem ministraret, nam cum in eo casu sumptio Eucharistie illi esset ad salutem necessaria, per Episcopatum & legis interpretationem, communicare posset sub specie vini: sicut articulo precedenti dicebamus, licere in simili casu Sacerdoti non jejunio celebrare, si nimirum sumptio veneno mortui appropinquaret, & habens conscientiam mortalis copiam Confessoris non haberet. Vix tamen casus est moraliter possibilis, nisi tantum in eventu, quo deficiente Sacerdote post summptionem corporis, maneret sanguis in altari, & non esset Sacerdos qui suppleret defectum, & moribundus esset proxime expiraturus.

Denique potest aliquis sub utraque specie communice care ex privilegio, potest enim Ecclesia super hoc precepto suo dispensare: ut reppa dispensavit Clemens VI. cum Rege Christianissimo anno 1341. & Paulus III. cum Bohemis, modo non adhaerent hæresi Petri Dresdensis, & Jacobi Minelli, qui primi in Bohemia anno 1512. Calixtorum hæresim seminaverunt. Item Papa solemniter celebrante, Diaconus & subdiaconus sub utraque specie communicantur.

Minister Eucharistia duplex esse potest alter conficiens, cujus potestas versatur in materia consecranda: alter tantum dispensans qui solum distribuit materiam præconsecratam. De utroque in hac disputatione differemus, & utrum hujus sacramenti consecratio, & administratio soli Sacerdoti conveniat, breviter resolvemus. Alia vero difficultates quas D. Thomas art. 5. & sequentibus pertractat, an scilicet malus Sacerdos, & hæreticus, aut Schismaticus. Eucharistiam consecrare possint? in Tractatu de Sacramento in communi, agendo de Ministro sacramentorum, disp. 6. expeditæ sunt.

ARTICULUS I.

Utrum consecratio hujus sacramenti sit ita propria Sacerdoti, ut a nullo alio, etiam in casu necessitatis, fieri possit?

Lutherani existimant, quælibet Christianum, vi Baptismi, habere potestatem consecrandi Eucharistiam, licet hoc officium nemo fumere debeat nisi legitime vocatus, excepto casu necessitatis: in casu vero necessitatis dicunt quod unusquisque Paternam potestatem domi suæ panem & vinum consecrare, & corpus & sanguinem sui exhibere familie. Fundamentum ipsorum est, quia Scriptura variis in locis docet omnes Christianos esse Sacerdotes. Nam I. Petri 2. dicitur vos autem genus electum, regale Sacerdotium. Et D. Joannes Apocal. 1. Facite nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo. Et cap. 5. Facite nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes. Unde Tertullianus in exhortatione ad castitatem cap. 7. Nonne & Laici Sacerdotes sumus? scriptum est, Regnum quoque nos, & Sacerdotes sumus. Scriptum est, Regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo & Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesie auctoritas, & honor per Ordinem concessum sanctificatus: adeo ubi Ecclesiasticis ordinibus non est confessus, & offerre, & cingi, & Sacerdos est tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet Laici: unusquisque enim de sua fide vivit. Igitur si habes jus Sacerdotii in temetipso, ita necesse est habere oportet disciplinam Sacerdotis.

Dico tamen, solum Sacerdotem posse hoc sacramentum consecrare. Hæc conclusio est certa de fide: habetur enim in cap. Firmiter de summa Trinitate, his verbis: Hoc sacramentum nemo potest consecrare, nisi solus Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus. Colligitur etiam ex Tridentino sess. 43. cap. 1. ubi affirmat sacrificium & Sacerdotium Dei ordinatione esse conjuncta, & Christum Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, potestatem tradidisse consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem ejus, nec non & peccata dimittendi & retinendi. Idem etiam patet ex forma instanti Sacerdotis in universa Ecclesia Latina, in qua sic dicitur ab Episcopo: Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis & defunctis. Quæ verba in nullius alterius ministerio ordinatione proferuntur. Denique id constat ratione S. Thomæ hic art. 1. Illi enim soli possunt consecrare corpus Christi, quibus ipse Christus hanc potestatem plane supernaturalem concessit: Atqui non concessit eam nisi Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus verbis illis: Hoc facite in meam commemorationem. Unde Clemens Romanus lib. 8. Constitit cap. ultimum affirmat Christum solis Apostolis dixisse: Hoc facite, ab illis vero & per illos derivatam fuisse hanc potestatem ad Presbyteros: ideoque lib. 2. cap. 31. ait: Quicumque laicos sine Sacerdote aliquid operatur, inane operatur: Ergo, &c.

Favet etiam alii SS. Patres: Chrysostomus enim lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. & 5. Sacerdotii gradum, supra reliquorum hominum dignitatem, mirum in modum extollit, eo quod habeant potestatem offerendi sacrificium Eucharisticum, & remittendi peccata. Et I. 2. Non homo (inquit) non Angelus, non Archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, sed Spiritus sanctus hoc munus instituit atque adhuc manentes in carne, mysterio sui præstitit Angelorum. Quomodo ergo nobis isti non solum reverendi magis quam Reges, aut Judices, sed etiam magis erunt honorabiles quam parentes. Et Hieronymus in Epistola ad Heliodorum, Sacerdotes super alios clericos specialiter commendans, quod corpus Christi sacro ore consecrant, id est verbis sacramentalibus ore suo prolatis. Item valde celebratur præclara illa sententia, quæ D. Augustino vel S. Gregorio tribuitur: O magna Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis, Christus quotidie incarnatur! Denique Gaudentius Brixie Episcopus tract. 2. ad Neophytos prope finem hæc scribit: Discipulis fidelibus mandata (Christus) quæ primus Ecclesia constituit Sacerdotes,

dotes, ut indefinenter ista vita æterna mysteria exercerent, quæ necesse est a cunctis Sacerdotibus per singulas rotas orbis Ecclesias celebrari, usque quo iterum Christus de celis adveniat.

Aburdum est autem quod dicunt Sætarii, nempe omnes Christianos, ratione characteris Baptismi, esse Sacerdotes: licet enim, ut postea dicemus, impropria quadam & ampla significatione, Sacerdotes dicantur, quia debent omnes offerre Deo spiritalia hostias bonorum operum, proprie tamen Sacerdotes sunt illi soli qui ad hoc ordinati sunt, ut docent Basilus lib. 2. de Baptismo cap. 8. Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 10. & Dionysius cap. 5. Cælest. Hierarch. ubi sic habet: Nec ipse Sacerdos erit, nisi Pontificali officio ad hoc fuerit promotus. Et certe, sicut in lege Mosaicâ nulli erant veri Sacerdotes, nisi qui de tribu Levitica fuerant legitime ordinati, juxta illud ad Hebræos 5. Nec quisquam semis sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron: sic Evangelicum Sacerdotium, longe excellentius Aaronico, non competit omnibus, sed illi soli qui legitime vocati & ordinati sunt, rita per Christum instituto. Ac sicut alii: ne quidem in necessitate poterant manus sacrificandi obire: unde 1. Regum 13. reprehenditur Saul, quod stulte egerit, attentans sacrificare in casu necessitatis, & Ozias eandem ob causam lepra percussus 2. Paralip. 26. Sic in lege Evangelica, nemo nisi Sacerdos, potest in ullo casu ejusdemque necessitatis sacrificare. Unde saltem est quod dicunt Sætarii, nimirum Diaconos aliquando Eucharistiam consecrare, maleque id probant ex Canone 15. Concilii Arelatensis, qui sic habet: De Diaconis, quos cognovimus multis in locis offerre, placuit minime fieri debere; & ex cap. a. Synodi Ancyrana, ubi Diaconi qui immolaverant Idolis, jubentur cessare ab omni sacro ministerio, & spectatum sive a pane, sive a calice offerendo. Nam prior locus debet intelligi de oblationibus fidelium distinctis a consecratione Eucharistia, que presente Sacerdote non poterat ab alio benedici, temere que id præsumebatur a prædictis Diaconis. Posterior vero intelligendus est de oblatione quam facit Diaconus in Missa sollempni ministrans Sacerdoti: nam simul cum Sacerdote, ut etiam modo, in calice offerrebat; sed nunquam primum Diaconum Eucharistiam consecrare legitimus. Unde Concilium Nicænum 1. can. 14. dicit Diaconos non habere potestatem offerendi sacrificium Eucharistia, sed Presbyteros.

Potest insuper probari conclusio, & Sætariorum error confutari, ex abuldo quod sequitur ex illorum sententia: Si enim potestas consecrandi Eucharistiam competere omnibus Christianis ratione characteris Baptismi, ut docet Lutherus in libro de captivitate Babilonica cap. de Ordine, competere etiam feminis baptizatis; & si Baptismus facit vere & proprie Sacerdotes, mulieres Christianæ erunt vere & proprie Sacerdotes Evangelici. At hoc absurdissimum est Collyridianorum, ac Pezuzianorum error, apud quos mulieres olim sacrificandi munus usurpabant ut videre est apud August. I. de hæresibus, hæresi 27. & apud Epiphanium hæresi 79. ubi contra Collyridianos disputans affirmat solos Apostolos fuisse a Christo ordinatos ministros Eucharistia: & deinde post Apostolos, alios Episcopos & Presbyteros: ceteris autem, & maxime feminis adeo id non licere, ut liquissimum unquam, ut ne hæc quidem Virgini concessum fuerit.

Nec valet quod ait Petrus Molinaus, nimirum feminas olim Eucharistiam administrasse, ut docet (inquit) Ambrosius in libro de Viduis. Nam præterquam quod hic non est questio de ministro Eucharistiam ministrante; sed de ministro illum consecrante suo conficiente, falsum est quod Ambrosius ea libro id docet, loquitur enim eo loco non de femina, sed de Sacerdote, cujus animam comparat Socru Petri Apostoli, languenti febribus, & a Christo sanata. Unde mira est Ministri hujus ineptia, & crassa ac supina hallucinatio. Apocryphum etiam & commentitium est, quod refertur in Trato spirituum cap. 15. nimirum quod Monachus non Sacerdos protulit verba consecrationis super panem quem debebat, & Angelus affirmavit vere consecratum. Et si vera esset historia, responderi posset, extraordinarie & miraculose id factum esse.

Ad telimonia vero Scriptura supra adducta, quibus significari videtur, omnes Christianos esse Sacerdotes, dicendum est cum S. Thoma hic art. 5. ad 2. ea intelligenda esse de Sacerdotio late & improprie sumpto, pro spirituali potestate & debito offerendi Deo sacrificium bonorum operum. Unde D. Petrus ibidem immediate ante verba adducta, hortatur fideles ad deponendam omnem malitiam, & omnem dolum, simulationes, invidias, detractiones: ad amplectendam vitam innocentem, qualem decet filios Dei adoptivos, recens genitos in Christo: ad edificandam domum spiritualem tanquam lapides vivos, offerendosque spirituales hostias bonorum operum, quibus Deus colitur in spiritu, acceptabilis Deo per Jesum Christum. Et paulo post eisdem obsecrat, ut abstant se a carnalibus desiderijs, quæ militant adversus animam, & bene convertentur inter gentes, &c. Hinc S. Thomas in 4.

dist. 3. quæst. 1. art. 1. quæstion. 1. ad 1. inferi, quod omnis bonus homo dicitur esse Sacerdos mystice, quia scilicet mysticum sacrificium Deo offerre, seipsum scilicet hostiam viventem Deo, ad Roman. 12.

Ad locum autem Tertulliani, satis obscurum, quod initio hujus articuli retulimus, in quo præcipue contendant hæretici; In primis dico, Tertullianum librum illum de exhortatione ad castitatem scripsisse: jam Montani erroribus implicatum, & ab Ecclesia Catholica legregatum. Unde valet quod de eo dixit Hieronymus: Homo Ecclesia non fuit, Et Hilarius cap. 5. in Matth. Sequenti errore hæreticis scriptis probabilis auctoritatem. Et Vincentius Lirinensis: Tertullianus Catholicis dogmatis ac veritatis fidei parum tenax, ac disertior multo quam solior, mutata deinde sententia, fuit ipse quoque in Ecclesia magna tentatio.

Respondeo secundo, ipsum non loqui de sacrificio proprie dicto, nec de Sacerdotio consecrationis, sed de sacrificio orationis, penitentia & elemosinarum, in quo unusquisque Christianus Sacerdos est, ut supra diximus, & eleganter expendit Chrysologus ferm. 108. Nam ibi explicans illud Apostoli: Ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sic habet: Apostolus sic rogando omnes homines ad Sacerdotale fastigium provocat. O inaudiam Christiani Pontificatus officium, quando homo sibi ipse est & hostia & Sacerdos; quando hostia multatur & vivit! Mirum sacrificium, ubi corpus sine corpore, ubi sine sanguine sanguis offeritur! In tali vitium more experitur, hostia permanet, virtus hostia, more peritur. Et rursus: In odorem thymiani semper orationis accende, arripo gladium spiritus, altare cor tuum pane, & sic corpus tuum admore Dei securus ad vitium. Deus fides, non mortem queris; votum, non sanguinem stitit; placatur voluntate, non nec.

Hanc autem esse Tertulliani sententiam, patet primo ex probatione quam subiungit: Scriptum est, Regnum quoque nos, & Sacerdotes Deo & Patri fecit: qui locus de spirituali Sacerdotio intelligendus est, ut indicant verba precedentia, ubi non de sacrificijs proprie dictis, sed de oblatione Eucharistia sermo est, sed fides de oblatione orationum, & de phialis aureis plenis odoramentorum, quæ sunt orationes Sætariorum. Constat etiam ex eo quod legit Auctor, jus illud offerendi, & sacrificium de quo loquitur fundat in fide, dicens: Unusquisque de sua fide vivit: cum autem fides reperitur in mulieribus baptizatis, æque ac in viris, sequeretur illas esse proprie Sacerdotes, & posse consecrare Eucharistiam; quod a mente & doctrina Tertulliani profors alienum est: libro enim de velandis virginibus cap. 9. ait: Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, necingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officij sortem sibi vendicare. Plura de hac difficultate, & præsertim de hoc Tertulliani loco, videri possunt apud Gabrielem Albaspineum, Aurelianensem Episcopum, lib. 2. de Euchar. cap. 8. Dionysium Petavium in dissertationibus Ecclesiasticis contra Salmastium, & Yzambertum hic q. 82. disp. 1. art. 2.

ARTICULUS II.

An ad solos Sacerdotes pertineat dispensatio hujus Sacramenti?

Ico primo, ad Sacerdotes ex officio spectat hoc sacramentum populo dispensare. Ita D. Thomas hic art. 3. ubi hæc conclusionem triplici ratione probat. Prima est, quia cum convenit actus principalis, convenit & accessorius: Atqui Sacerdoti per se & ex officio convenit consecratio Eucharistia, quæ est principalis actus: Ergo idem per se etiam & ex officio convenit ejus dispensatio. Unde idem S. Doctor in officio Corporis Christi quod de mandato Urbani IV. editum, sic habet: Cujus officium committi voluit Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant, & donec ceteris.

Secunda est: Sacerdos constituitur medius inter Deum & populum: unde sicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona sanctificata divinitus populo tradere. Unde Apostolus 1. Corinth. 4. loquendo de Sacerdotibus ait: Sic nos existimare homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Quam rationem fusius expendit & magis illustrat in 4. sent. dist. 13. q. 1. art. 3. quæstion. 1. ubi ait, quod sicut in corpore naturali sunt quedam membra principalia, per quæ virtutes & operationes vita a principio vita ad cetera membra decurrunt: ita & in Ecclesia Sacerdotes sunt quasi membra principalia quibus mediantibus Sacramenta vita populo dispensari debent: & ideo laici, quantumcumque sancti, sicut nec consecratio ita nec dispensatio hujus sacramenti competit.

Tertia est quia in reverentiam hujus sacramenti nulla recontingitur, nisi consecrata: unde & corporale & calix consecratur, & similiter manus Sacerdotis ad tangendum hoc sacramentum: Ergo illi soli per se & ex officio competit illud tangere & populo dispensare: Unde Tertullianus dicit.

Aeninum fell. 13. cap. 8. Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes seiplos communicarent: qui nos, tamquam ex traditione Apostolica descendens, iure ac merito reprobare debet.

13 Dico, secundo, non omnes Sacerdotes possunt hoc sacramentum licite ministrare, sed solum illi qui habent potestatem jurisdictionis, vel ordinariam, vel delegatam.

Hec etiam conclusio est omnino certa: ita enim generaliter de sacramentis habetur in Clementina Dudum, de sepulturis, & in particulari de isto in Concilio Carthaginiensi I. cap. 7. & Milevitano cap. 18. & Lateranensi I. cap. Omnis utriusque sexus. Ratio vero est, quia est administratio Eucharistia non sit actus judicialis, sicut est poenitentia administratio, est tamen proprius Pastoris actus, & quidem magis quam actus publice docendi populum, cum sit actus pasceendi gregem Christi spirituali pabulo carnis Domini: Ergo ad licite administrandum hoc sacramentum potestas jurisdictionis vel ordinaria vel delegata requiritur. Unde Leo Papa Epistola Decretali ad Theodorum Episcopum Forojuliensem relata in capit. Multiplex 49. de Poenitentia distinct. 1. Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, hanc Præpositi Ecclesie tradidit potestatem, ut & consecratis actionem Poenitentia darent, & usum salubri satisfactione purgaret, ad communionem sacramentorum per Januam reconciliationis admittentes. Ex quibus inferes, esse peccatum mortale ministrare Eucharistiam sine debita jurisdictione aut facultate, quia est usurpare jus alterum in re gravi, & cum animarum periculo, per se loquendo, & contra pacem & debitam gubernationem, & ordinem Ecclesie. Porro jurisdictione ordinaria residet in superioribus quorum officio connexa est, ut in Summo Pontifice pro universa Ecclesia, in Episcopo pro sua Diocesi, in Parocho pro sua Parochia. Extraordinaria vero seu delegata residet in illis quibus a superiori communicata est, uti illam per Bullas Pontificias habent Religiosi mendicantes, unde licite possunt in suis Ecclesiis Eucharistiam quovis anni tempore, præterquam in die Paschatis, & in articulo mortis, ministrare.

13 Advertendum est autem, hoc inter administrationem sacramenti Poenitentia & Eucharistie reperiri discrimen, quod pro administratione poenitentia requiritur approbatio Ordinarii, non vero pro administranda Eucharistia, cum utriusque non sit eadem ratio: nam in Sacramento Poenitentia requiritur scientia, quæ distinguntur peccata, requiritur etiam specialis probitas ministris, propter specialem familiaritatem cum poenitentibus: semel autem hostia consecrata, eam ministrare, has difficultates non habet, unde praxi receptum est, quod simplices Sacerdotes ab Ordinario non approbati, ex expressa vel tacita Parochi licentia, Eucharistiam ministrant.

14 Dico tertio, Diacono ex officio convenit sanguinem Christi dispensare, non vero corpus, ex commissione tamen Sacerdotis, cuius est ministrare. Ita S. Thomas hic art. 3. ad 1. ubi ait: quod Diaconus, quasi propinquus ordini Sacerdotis aliquid participat de eius officio, ut scilicet dispenser sanguinem, non autem corpus, nisi in necessitate, jubente Episcopo, vel Presbytero. Primo quidem, quia sanguis Christi consistit in ossibus, unde non oportet quod tangatur a dispensante, sicut sanguis corpus Christi. Secundo, quia sanguis designat redemptionem a Christo in populum derivatam: unde & sanguis admiscetur aqua, quæ significat populum. Et quia Diaconi sunt inter Sacerdotes & populum, magis convenit Diaconis dispensatio sanguinis, quam dispensatio corporis: Idem docet in 4. dist. 13. quest. 1. art. 3. quaestione 2. ubi sic dicitur: Si Sacerdos participat aliquid de virtute perfectioris, quæ est Episcopi, in Diaconis participat aliquid de dispensatione hujus sacramenti: competit enim ei ex officio sanguinem Dominus dispensare, sed non corpus: quia dispensator corporis oportet quod ipsam corpus tangat, non autem dispensator sanguinis: Diacono autem non licet corpus Christi tangere, cum non habeat manus sacratas: & ideo non debet corpus dispensare, nisi de mandato Presbyteri, vel Episcopi, vel Presbytero longe posito in casu necessitatis. Vel ideo dispensat sanguinem, & non corpus, quia per sanguinem significatur redemptionis mysterium, quod a capite Christo in membra diffunditur officio ministratum, unde & sanguis aqua quæ populam signat, admiscetur: sed incarnatio quam corpus Christi signat, non est humano ministerio facta. Quibus verbis S. Doctor conclusionem nostram & docuit & præhavit. Potestque confirmari ex antiqua praxi Ecclesie: antiquitas enim quando vigebat usus communionis sub utraque specie, dispensatio sanguinis pertinebat ad Diaconum, ad quem tamen non pertinebat dispensatio corporis, ut constat ex verbis S. Laurentii ad Sixtum: Experire utrum idoneum ministrum fuerit, cui commissi Dominici sanguinis dispensationem: ex Cypriano ferm. de lapsis, & Ambrosio lib. 1. de officiis cap. 14. Jam vero usus ille cessavit in populo: durat tamen in Capella Pontificis, ut Durandus dist. 13. quest. 4. refert, nam dum ipse sollempniter celebrat, post sumptio-

nem corporis solum vadit, & tunc Diaconus consecratum ecclesie ei offert & porrigit.

Dices, Diaconus solum ex commissione Sacerdotis habet quod sanguinem Christi populo dispense: Ergo id non habet ex officio. Unde in ordinatione Diaconi nulla fit mentio hujus actus, sed solum datur ei potestas legendi Evangelium, quæ nullam habet cum dispensatione sanguinis connexionem.

15 Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam: licet enim dispensatio sanguinis Christi conveniat Diacono ex commissione Sacerdotis, hæc tamen commissio non datur ei ad libitum Sacerdotis, sed ex officio suo habet Diaconus ut hoc ei committatur, quia officium ejus est ministrare Sacerdoti in consecrando & dispensando. Unde in cap. Diaconus dist. 23. sic dicitur: Diaconus dum ordinatur, ad ministerium consecratur. Ex quo patet solutio ad illud quod subditur, ut enim Diacono ex officio competat potestas dispensandi Christi sanguinem, non requiritur quod hujus facti expressa mentio in ejus ordinatione, sed satis est quod in ea declaratur, ipsum ad ministrandum immediatè Sacerdoti consecrari: ex hoc enim colligitur: quod Diaconus ut propinquus ordini Sacerdotis aliquid participat de eius officio, ut scilicet dispenser sanguinem, non autem corpus, ut ait D. Thomas supra relatus: Ex quo

16 Inferes, quod licet Dominici sanguinis dispensatio possit etiam nunc ab ipso ulla necessitate committi Diacono, & de facto adhuc committitur, dum Summus Pontifex sollempniter celebrat, ut supra ex Durando retulimus: non tamen dispensatio corporis, si nulla cogat necessitas. Si vero necessitas cogit, & Sacerdos abest, potest Diaconus corpus Christi infirmo ministrare, ut colligitur ex Concilio Niceano 1. can. 18. vel 14. alia versione, nam in eo, abente Sacerdote, conceditur Diacono potestas, ut ipse & Ciborio præferat sacramentum, & sumat: Igitur a fortiori poterit idem Diaconus, in casu necessitatis, si nullus adest Sacerdos, Eucharistiam infirmo ministrare. Immo si ex negligentia aut nequitia nollet Sacerdos, etiam a Diacono monitus, Sacramentum deferre infirmo, potest Diaconus illo invito sumi manus prestare, & misero infirmo in extremis succurrere, ut ait Soto in 4. dist. 13. q. 1. art. 3.

17 Id etiam posse Subdiaconum, immo & Laicum censent Suarez, Valentinus, Coninck, & alii Recentiores, quibus favet Cajetanus Matth. 26. versu 26. ad illa verba: Accipite & comedite, dicens: Adverte hic quod sicut Ecclesia laudabiliter pro reverentia Eucharistia non utitur Eucharistia cibo, nisi jejunus, necendo extrema agritudine articulo, licet Dominus inter convandum communicaverit discipulis: ita laudabiliter pro reverentia Eucharistia ab ipso ab isto modo manducandi. Accipite & comedite, ut novissis sacris manibus tangatur Eucharistia. Verum ad imitationem Christi, communicare tali modo in articulo necessitatis, non esse inconveniens: Sicut etiam non jejunus, ut dicitur est, in articulo necessitatis communicamus. Est autem necessitatis articulus, si tempore epidemia non haberetur Sacerdos communicans more Ecclesie solite, sed haberetur Sacerdos, qui prope afferret Eucharistiam, & locando super preparatæ loci, diceret communicantibus prope expectantibus & adorantibus. Accipite, comedite, possent enim reverenter accipere & comedere, sicut fecerunt Christi Discipuli, qui acciperunt a Jesu non manu ad manum, sed ex mensa, cum sederent multi in tanta Hispania, ut manus Jesu manibus eorum non posset jungi. Crediderim ego, quod sicut unum calicem communem omnibus realiter, ita in una patina panem in duodecim buccellas fractum, manibus propriis tradidit, & quod hinc Ecclesia usum patinarum Apostolicæ traditione accepit. Ita quod sicut calicem unus Discipulus dedit alii, ita patinam cum pane sancto propinquiores Jesu remotioribus successivo porrexeerunt.

18 Opposita tamen sententia, quæ negat in ullo casu licitum esse Subdiacono vel Laico ministrare hoc sacramentum, & communiter & probabilior est, doceturque expressè a D. Thoma, qui quamvis Laico in necessitate corpus Christi tangere, licitum esse concedat hic artic. 3. in fine corporis articuli, in nullo tamen casu admittit licere ei illud aliis ministrare: sed in 4. sent. dist. 13. q. 1. artic. 3. quaestione 1. ad 3. dicit: in casu necessitatis potest & debet corpus Christi tangere, etiam si sit peccator, ut si in aliquo loco immundo jaceret, etiam non est simile de dispensatione sacramenti, quia receptio hujus sacramenti non est necessitatis. Unde et qui non potest sacramentaliter manducare, dicendum est, Crede & manducasti. Quibus verbis sanctus Doctor rationem fundamentalem indicat cur laico in nullo casu licitum sit ministrare hoc sacramentum: decet enim ob dignitatem tanti sacramenti, & rei in illo contentæ majestatem, ut non nisi a Sacerdote & in solo casu necessitatis tantum a Diacono administretur: aliunde vero cum non sit ad salutem necessarium, sed tantum utile, fideles etiam in articulo mortis constituti non tenentur illud recipere, nisi cum debitis circumstantiis ad ipsius reverentiam, quæ private persone utilitati prævalere debet, requi-

ARTICULUS I.

An Missa, seu celebratio Eucharistia, sit vere ac proprie sacrificium?

§. I.

Hujus nominis Missa Etymologia, & antiquitas explicantur.

Nomine Missa, actio illa sacra intelligitur, qua in Ecclesia Catholica consecratur Eucharistia, multis precedentibus & subsequentibus precibus, & exemoniis, quam actionem Græci Liturgiam vocant. Difficultas vero & controversia est inter Auctores, an vox illa Missa Hebraica sit, vel Latina? Hebraicam esse docet Concilium Senonense in decretis fidei cap. 11. tenentque plures Scriptores, cum Cardinali Baronio tomo 1. anno Christi 34. num. 59. ubi hæc scribit: Neque tamen prætermittendum, quod cum multa sint hujus sacrificii nomina, illud est antiquissimum, & apud Latinos usitatum, atque frequentius, Missa, quod quidem (sicut & Christiana fides proficitur) ex Hebraica vel Chaldaica nomenclatura acceptum esse videtur. Quod enim in nostra Vulgata legitur Deuter. 16. spontaneæ oblatio Hebraice & Chaldaice dicitur Missah, quam offerbant Domino in gratiarum actionem de fructibus terræ, quæ & vescebatur in templo, cum recordatione præteritis servitutis, & ab eadem liberationis. Quæ quidem omnia, cum optime conveniant prædicta a Christo instituta sacrificio: eo prius Majoris nostri usi sunt nomine, quam cujuspiam alterius sacrificii.

Alii vero censent, vocem illam, nullo modo Hebraicam esse, aut ab Hebraica derivatam, alioquin cum omnes Christianæ nationes sicut alias hujusmodi retinissent, quæ sunt Amen, Alleluja, Sabash, &c. Nam & Græci his omnibus utuntur, voce autem Missa non item, sed pro Missa, Liturgiam dicunt. Immo Syri & Maronitæ, qui Chaldaica lingua Missam celebrant, vocem Missa non habent, & ex SS. Patribus Origenes, Justinus, Epiphanius, & Hieronymus, Hebraicæ lingue periti, hæc vocem nunquam usi sunt. Hanc ergo vocem volent esse Latinam, a verbo missa deducunt, & nonnulli cum Hugone a S. Victore lib. 2. de sacramentis p. 8. cap. ultimo existimant celebrationem Eucharistia Missam dici, ex eo quod in illa oblatio & preces ad Deum mittantur: sicque illorum verborum quæ in fine Missæ dicuntur, Ite Missa est, sensum esse, abire licet, quia oblatio & hostia salutaris jam transmissa est cum precibus ad Deum pro vobis. Ita D. Gregorius libro 4. Dialog. capit. 58. ubi hæc scribit: Dicitur Missa quasi transmissio, eo quod populus fidelis per ministerium Sacerdotis qui fungitur vice mediatoris inter Deum & homines, preces & supplicationes & vota transmittat Altissimo. Ipsum vero sacrificium, id est hostia, Missa vocatur, quasi transmissa: primum nobis a Patre, ut esset nobiscum per incarnationem: postea Patri a nobis, ut intercedat pro nobis ad ipsum per passionem; ut & in sacramento primum nobis a Patre per justificationem; postea Patri a nobis per oblationem. Similia docet sanctus Thomas hic articulo 4. ad 9. his verbis: Propter hoc etiam Missa nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut populus per Sacerdotem. Vel quia Christus est hostia nobis missa a Deo, unde & in fine Missæ Diaconus in festivis diebus populum licentiat dicens, Ite Missa est, scilicet hostia ad Deum per Angelum, ut scilicet sit Deo accepta. Non pauci verum cum Alcuino lib. de officiis Ecclesiasticis, cap. de celebratione Missæ, Missam dici volunt a remissione hujus dimissionis populi, ut idem sit Missa, quod missio: sicut enim sunt collecta & collectio, sicque illorum verborum: Ite Missa est, sensum esse, jam dimissio est congregacionis, abire omnibus licet, quia jam dimissi estis.

Quidquid fit de hujus nominis etymologia, & significacione, certum est illud esse antiquissimum, ut ostendit Baronius ubi supra num. 60. dicens: (Ea vox usque videtur suo ipsius exordio Romani Ecclesie, nam Pius Papa, & proximus Apostolorum temporibus, scribens ad Iulium Episcopum Viennensem, idem sacrificium Missam vocans, sic dicit, ut habetur tomo 1. Bibliothecæ veterum Patrum: Soror nostra Eusebia, sicut bene recordaris, scilicet domus sub pauperibus assignavit; ubi tunc cum pauperibus nostris commorantes, Missa agimus. Item Cornelius Papa Episc. ad Lupicium Viennensem Episcopum, his utitur verbis: Publice, neque cryptis minoribus, Missas agere Christianis licet. Eodem usi sunt nomine ceteri Romani Pontifices quos longum esset sigillatim recensere. In Concilio Romano, sub Sylvestro in fine: in Concilio Carthaginiensi 2. can. 3. Concilio Agathensi cap. 47. & aliis, Patres qui interfuissent eodem quoque Missa pronominem, ipsum incrementum sacrificium nominantur, sicut & Ambrosius ad Marcum Epistola 33. Angustinus sermon. 251. de

DISPUTATIO XI.

De Sacrificio Missæ.

Ad quas. 83. D. Thomæ.

Sicut in veteri testamento Agnus Paschalis non solum habuit rationem sacramenti, sed etiam sacrificii, ita & in nova lege Eucharistia utraque fortitur rationem, cum non solum instituta sit in salutem animarum nostrarum, ut cetera sacramenta, sed etiam in peculiarem cultum Dei, quomodo habet rationem sacrificii, quo supremum ipsius dominium, & potestatem quam habet in vitam & in mortem omnium protestatur. De Eucharistia in ratione sacramenti considerata, hæc usque disputavimus: nunc superest nobis agendum de Missæ sacrificio, circa quod variæ & celebres occurrunt difficultates & controversiæ, breviter hic discutendæ. Plura vero quæ de sacrificio in communi, variisque ejus speciebus, aliqui Theologi hic fuisse expendunt, prætermittimus, quia de his sufficienter egimus in Tractatu de quatuor Virtutibus Cardinalibus disp. 3. art. 3. explicando actus externos religionis, inter quos sacrificium precipuum locum obtinet.